

Werk

Titel: D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

Autor: Blumenbach, Johann Friedrich

Verlag: Dieterich

Ort: Gottingae

Jahr: 1821

Kollektion: Blumenbachiana

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN659038048

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN659038048>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048>

LOG Id: LOG_0015

LOG Titel: Sectio IX. De Voce et Loquela

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

S E C T I O . IX.

DE

VOCE ET LOQUELA.

§. 152.

Principem respirations functionem consideravimus. Quid vero ad chylum sanguini subigendum et multis aliis modis ad universam fere functionum naturalium classem conferat, alias dicetur. Iam ad reliquas eius utilitates.

Et primo quidem de *voce* *), quae nato homini competit et a pulmonibus proficitur, pridem rite monente Aristotle, qui nulla animalia esse vocalia dixit, nisi quae pulmonibus respirent. Vocis enim nomine proprie sonus venit, exspirati spiritus ope formatus in *larynge*, magni artificii plena machinula quae

*) Th. Young in *philosoph. Transactions* a. 1800.
P. I.

summae spiritali fistulae, tanquam capitulum columnae, imposita est *).

§. 153.

Constat autem haec machinula variis cartilaginibus in capsulae quasi formam coadunatis **), quae magno et mirando muscularum apparatu ***) instructae tam iunctim simul sumtae, quam pro vocis varietate nonnullae earum sigillatim mobiles redduntur.

§. 154.

Primaria autem prae ceteris ad vocem edendam particula *glottis* est, angustius spiritalis fistulae ostium, cui suspensa quasi praefigitur epiglottis. Istius enim ostii marginibus rite allisam auram e pul-

*) JAN. MARC. BUSCH *de mechanismo organi vocis huiusque functione*. Groning. 1770. 4.

**) SOEMMERRING *icones organorum gustus et vocis*. Francof. 1808. fol.

***) B. S. ALBINI *tab. muscular.* tab. X. fig. 1-15.
tab. XI, fig. 45-48. tab. XII. fig. 1-7.

monibus expulsam, fieri sonoram, nullum dubium est.

§. 155.

De eo autem disputatum est, quaenam ipsi glottidi ad modulandam vocem contingant mutationes? an scil. diducatur saltem et vicissim coarctetur, quae, post Galenum, Dodart sententia fuit, anne potius a tensione et relaxatione ligamentorum eius, vocis varietas pendeat, ut Ferreinius contenderat.

Hic ergo vocis organon primarium fidibus, ille vero, et quidem magis ad naturae veritatem, tibiis comparabat*).

Omnibus tamen rite collatis vociferantem glottidem utique utriusque generis mutationes subire patet, quum eae

*^o) KRATZENSTEINIUS glottidem cum larynge quodammodo pro tympano declarabat, cuius membrana bisecta est. v. Ei. *Tentamen de natura et charactere sonorum litterarum vocalium*. Petrop. 1781. 4.

Certo respectu Aeoli quoque harpae quam vocant compararem, praesertim eiusmodi, qualis apud Amboinenenses a se visam describit LABILLARDIERE in *voyage à la Recherche de la Pérouse* T. I. pag. 326.

quae a ligamentis, maxime thyreo-arytaenoideis *inferioribus* (quae sunt *chordae vocales* Ferreinii) et inde pendente modificatione *sinuum s. ventriculorum laryngis*, ipsi contingunt sane plurimum ad graviter aut acute vociferandum, conferant*).

§. 156.

Omnem autem eam, cuiusvis generis sit, glottidis mobilitatem a numerosis qui ad laryngem pertinent musculis dirigunt, eleganti constat experimento, quo nempe ligatis sectisve nervis aut recurrentibus aut ipsis vagis, animantium vocem aut demissam reddere aut plane tollere licet **).

*) Experimenta de ea lite dirimenda Gottingae instituta v. in Jo. G. RUNGE diss. *de voce eiusque organis* LB. 1753. 4.

it. cf. Jos. BAILANTI in *Commentar. instituti Bonon.* T. VI.

et VICQ-D'AZYA in *Mém. de l'ac. des sciences de Paris* a. 1779.

**) De celebri experimento pridem a GALENO instituto, cf. praeter alios W. COURTEN in *Philos. Transact.* N. 335.

§. 157.

*Sibilus homini cum aviculis canoris communis est. His eo fine inseruit larynx in utrumque asperae arteriae extremum bipartitus. Iste vero, et si unico et communi larynge instructus, tamen labellorum coarctatione ea animalcula, ut mihi videtur, imitari didicit *).*

§. 158.

Cantum vero, qui ex loquela et harmonica vocis modulatione compositus est, homini proprium dicerem, et summam

MORGAGNI ep. anatom. XII. N. 20.

P. P. MOLINELLI in *Commentar. instituti Bonon.* Tom. III.

J. HAIGHTON in *Memoirs of the medical Society of London.* T. III.

* In universum maxime flexibilem esse laryngem humanum ad imitandas animalium voces vel ferocissimarum gentium exemplo constat. cf. v. c. de Novae Guineae orbis australis incolis, quos *Papus* vocant, NIC. WITSEN *Noord-en Oost Tartarye* ed. 2. Amst. 1705. Vol. I. p. 165. De Choktah gente Americae borealis, JAC. ADAIR in *History of the American Indians.* p. 309.

eius vocis organorum praerogativam. Silbilus enim avibus connatus est: verba etiam pronunciare numerosae aves satis facile, immo et canes quandoque docentur. Genuinum vero cantum vix semel iterumque psittacos quosdam ingenti labore, nec nisi quodammodo tantum imitari dicisse relatum est, cum e contrario vix ullam extare barbarem gentem crediderim cui non cantus solennis sit *).

§. 159.

Loquela ipsa vocis est singularis modificatio, quae aëre sive per os sive per nares exspirato, linguae maxime adminiculo, eiusque ad vicinas ipsi partes, palatum praesertim et dentes primores applicatione et allisione, tum et labiorum diver-

*) De Aethiopibus v. c., Grönlandis, Canadenibus, Californiis, Kamtschadalibus etc. testimonia itineratorum fide dignissimorum ad manus habeo; ita ut mihi quidem paradoxon sapere videantur, quae ROUSSAVIUS de cantu contendit, quod homini non natura sua convenire videatur etc. *Dictionn. de Musique*. Vol. I, pag. 170. ed. Genev. 1781. 12.

simoda actione in litterarum formatio-
nem componitur *).

Vocis hinc et loquela differentia pa-
tet; cum ista in ipso larynge formetur;
haec vero reliquorum quae diximus or-
ganorum singulari mechanismo deter-
minetur.

Vox porro brutis cum homine com-
munis est, et neonato etiam competit,
neque a miseriis infantibus qui surdi nati
sunt, plane abest. Loquela vero non
nisi rationis culturam et usum sequitur,
ideoque non minus ac ea ipsa soli ac
unico per universum animale regnum
homini tanquam privilegium convenit.
Brutis quippe instinctus quo natura sua
instructa sunt, sufficit; homini vero
hisce aliisque adminiculis ad vitam pro-
prio quasi Marte sustentandam destituto,
rationis et loquelae praerogativa concessa
est, quarum ope sociali quo a natura de-

* Cfr. RICH. PAYNE KNIGHT's *analytical Essay on the Greek alphabet.* Lond. 1791. 4. p. 3.

stinatus est vinculo utens, ideas per organa loquelae elaborare quasi et reddere, aliis communicare et desideria sua patefacere possit.

§. 160.

Ipse vero loquelae et pronuntiationis mechanismus *) ita intricatus et magnam partem occultus est, ut vel ipsa diversarum litterarum divisio et in classes partitio **) non exiguis prematur difficultatibus.

*) cf. F. MERCUR. AB HELMONT *alphabeti vere naturalis Hebraici delineatio*. Sulzbac. 1657. 12.

JOACH. JUNGII *dodoxopiae physicae minorum* (1662.) 4. append. section. I. P. II. fol. Gg. II. 3.

JO. WALLIS *Grammatica linguae Anglicanae*, cui praefigitur *de loquela s. sonorum omnium loquularium formatione tract. grammatico-physicus*. Utor ed. 6. Lond. 1765. 8.

GOTTE. CONR. CHR. STORR *de formatione loquelae*. Tubing. 1781. 4.

**) K. G. ANTON über *Sprache in Rückicht auf Geschichte der Menschheit*. Görlitz. 1799. 8.

ER. DARWIN's *Temple of Nature*. addit. Notes pag 112.

Interim tamen naturae satis adaequata videtur Ammanni *) divisio in I. **vocales**, II. **semivocales**, et III. **consonantes**.

I. **Vocales** **) dividit in a) *simplices* *a. e. i. y. o. u.*

et b) *mixtas* *ä. ö. ü.*

Hae maxime vocis simpliciore admicculo formantur.

Semivocales contra et consonantes loquelae organismo vere articulantur.

II. **Semivocales** ipsi sunt vel a) *nasales* *n. n. ng.* (i. e. *n ante g german.*) scil. labio-nasalis *m*; dente-nasalis *n*; gutture-nasalis *ng*.

vel b) *orales* (s. *linguales*) *r. l.* scil. tremente lingua *r*; quietiore vero *eal*.

III. **Consonantes** denuo dispescit in a) *fibilantes* (s. *successive pronuntias*) *h. g. ch. f. sch. f. v. ph.* scil. in gutture effi-

*) *Ej. surdus loquens* Amst. 1692. 8. auct. s. t. diff. de loquela ib. 1700.

**) De harum formatione v. CAR. THEOPH. KRÄTZENSTEIN *tentamen* supra laudatum.

ctam meram quasi aspirationem *h*; tum vero vere consonas *g. ch*; inter dentes formatas *f. sch*; a labio autem inferiore dentibus primoribus superioribus applicato *f. v. ph*.

b) *explosivas* (quae non nisi suppressa aut interrupta exspiratione uno quasi ictu exploduntur) scil. in gutture editas *h. q*; circa dentes *d. t*; prope labia *b. p*.

et c) *duplices* (s. *compositas*) *x. z.*

§. 161.

Denique et verbo saltem aliarum quarundam humanae vocis modificationum mentio iniicienda est, quarum quidem nonnullae, ut singultus et tussis, vix ad statum sanum circa quem physiologia versatur, pertinent, quae tamen facillime homini ceteroquin sano quandoque supervenire solent: et quarum plures, ut risus et fletus, homini propriae esse vindicantur.

§. 162.

Plures quidem earum sibi invicem
valde cognatae sunt, ita ut saepe una in
alteram transeat: pleraque etiam non
uno modo sese exerunt etc.

In universum tamen *rifu* breves et
quasi abruptae exspirationes se exci-
piunt *).

Tussis celer est et violenta et so-
nora exspiratio altam inspirationem ex-
cipiens **).

Rhonchus alta, sonora et quasi tre-
mula inspiratio ex vibratione veli pala-
tini in profunde et aperto ore dormien-
tibus.

Sternutatio, plerumque membranae
mucosae narium internarum specifica
irritamenta sequens, violentior est et fere

*) FR. LUPICHIUS de *rifu*. Basil. 1738. 4.

Traité des causes physiques et morales du
rire. Amst. 1778. 8.

**) Jo. MELCH. FR. ALBRECHT (praef. Hallero) ex-
perimenta in vivis animalibus circa *tussis* or-
gana exploranda instituta. Gotting. 1751. 4.

convulsiva exspiratio, quam brevis et vehemens inspiratio praecesserat *).

Singultus e contrario sonora constat et brevissima sed itidem quasi convulsiva inspiratione, quae abnormi cardiae affectione excitatur **).

Fletus inspirationes ciet alias, quae cito cum longioribus subinde interruptis exspirationibus alternant ***).

Suspirium longa constat et valida inspiratione, quam subsequentem exspirationem *gemitus* nonnunquam comitari solet †).

Proxime ab eo abest *oscitatio* ‡) quae plena, lenta et longa inspiratione, simili insequente exspiratione perficitur,

*) MARC. BEAT. L. JAC. PORTA *de sternutatione*.
Basil. 1755. 4.

**) C. J. SIG. THIEL. *de singultu*. Gotting. 1761. 4.

***) Jo. FR. SCHREIBER *de fletu*. LB. 1728. 4.

†) DAV. C. IMM. BERDOT *de suspiro*. Basil.
1756. 4.

‡) JUST. GODEFR. GÜNZ (praef. Walthero) *de oscitatione*. Lips. 1738. 4.

diductis simul late mandibulis; ita ut et
aër fauibus ampliatis haustus, Eusta-
chianas subeat tubas. Contingit cir-
culo sanguinis minore lentius et iniquius
procedente, nimis v. c. imminuta aëris
in corpus animale pressione, ut in altis-
simis montibus etc. Id sibi praeterea
privum habet, quod facile ad imitatio-
nem excitet: causa procul dubio in
recordatione grati ex osciatione sensus
quaerenda.
